

TYPVS
DIALECTICES.

INDIALEC=
TICAE COMMENDATIONEM
M. Erasmus Vuolffius,
ad studiosam pubem.

A Spera iam faciles tolerant conuitia Musæ.
Dente sacras lacerat turba profana deas.
Iam scioli logicen suspendunt naribus uncis.
(Proh scioli studijs pestis acerba bonis)
Ut Siculas nugas, & inania somnia rident.
Et micam solidæ frugis habere negant.
Nil moror, obstipa nasuti nare pererrent,
Quorum iuditio statq; caditq; nihil.
Viuunt Pyerides cælestia numina Musæ,
Nil quibus est maius, phœbi in utraq; domo.
Omnia regna tenent, & Apollinis omnia plena.
Quæ uel ad euxinum sunt uel ad Hesperiam.
Sed non fert animus Musarum sceptrâ thronosq;
Siue arcus phebi dicere siue lyram.
Victrices hedere, cythare, pharetra, atq; sagittæ
Non intrant carmen (quod caret arte) meum.
Picture si quando uolunt effingere, frigent.
Mira et si satagunt luxuriare manus.
Sicut ego uidi fictas quibus indidit apta
Nomina libertas nuper ab arte deas.
Atq; nouem pariter spetiosis ficta tabellis,
Numina, diuinum non nisi Apellis opus.
Vendre lineolas tenues pro corpore uiuò
Durum est, & statuas uiuere & ore loqui.

Si tamen extremam picturæ imitabimur umbram.
E septem primis una canenda modo est.
Virgo erat ore pudens, uestitu & amicta uerendo,
Fronte graui, proprio & pulchra colore genis.
Virginis effulgens per eburnea colla fluebat
Caesaries, uentis discutienda uagis.
Non capit is (fateor) gemma argento uel nec auro,
Sed uiridi uatum flore uirebat apex.
Nec stola demissu uerrebant syrnate campum,
Nuda sed armipotens ibat Amazo genu,
Ore cauum cornu sufflabat in athera, leua
Fert arcum teretem duraque tela manu.
Et quod mirabar, curuo latus ense recinctum
Quali aiunt uictis membra secare Getas.
Hec illi facies, nomen DIALECTICA, sicut
Fecerat appositis schedula curua notis.
Hanc ambire deam puerum decet huius & artem
In memori docte mentis habere sinu.
Exanimi cacos seponat imagine uultus,
Et uiuam uerae diligat artis opem.
Quam cæcis animis tacito deus indidit igne,
Maius ut Ingenij lumen haberet homo.
Quaq; uia sotiae uenere ex artibus artes,
Vi lucis rigidum qua pepulere chaos.
Crede mihi logiken scire haud res assis habenda
Unius, hanc summi perdidicere sophi.
Hanc primum peperit solers ægyptus, Athenæ
Altera ab Egypto cognita mater erat,
Assyriæ, Persæ, Chaldei, Gymnosophistæ
Indorum, magni hac arte fuere duces.
Zenon, Parmenides, Chrysippus, Carniadesq;
Dijsq; pares superis hanc docuere uiri.
Magnus Aristoteles quo non est doctior alter,
Magnifica logices primus in arce sedet.
Omnibus ille sophis palnam uel præripit unus,
Discipulosq; iubet post sua terga sequi.
Tam dextro genio diuini numinis instar
Edocuit logiken omnigenumq; sophos.
Dissertum cornu logices quis non uidet? a quo
Innumera Oceanus commoditate fluit.
Scribere materiam linguis recteq; loquendi
Leges insigni docta magisterio
Limitat eloquij campos ne Musica rerum
Integra, disparibus sit uitiata sonis.
Occulto inspirat iejunis igne medullas,
Verbis & uitæ membra mouere facit.
Si caret his neruis Cyparissi oratio fructus
Rhetor lautitijs parturit atq; suis.
Crede ampullosis centum ora sonantia linguis
Non nucis aut cassæ munere glandis emam.
Illiis artis iners uoces balbutit inahes,
Ut sunt ampullæ quas uaga gignit aqua.
Et uelut incertæ mutant sua flamina Syrites
Sic aliudq; aliud stansq; sedensq; probat.
Mentem dat logice, regem terre, & poliq;
Mentis ut unanimis consonet ore fides.

Obscuras rerum uolumus si querere causas,
Hac sine aqua turpi impingimus atq; luto.
Hec docet & certo genios locat ordine rerum,
Resq; uagis ultra septa salire uetat
Lata per augustos stringit negotia fines,
Ut pugno teneas remq; scopumq; rei.
Hec ab iniquo æquum causarum & disputat ausus,
Quid uero boni lateat quid lateatue mali.
Irato doctas genio uersabimus artes,
Si non hæc tuto calle docebit iter.
Vtq; semel dicam logice Musas iuuat omnes,
Doctorumq; iuuat cuncta theatra uirum.
Sydere in helleo natis concendit harenam,
Et sine clamoribus uocibus esse facit.
Stentora quid prodest bellorum aciesq; sonantes?
Et tragicos sonitus uincere posse tuos?
Ira sophocleo quid prodest concita rictus?
Si rapidos mordet faux asinina canes.
Ars ea fert triples in abeno caside cristas,
Quos poterit uerbis nemo scrire ferit.
Atq; sinuoso Maeandros uimine necit
Herculeos nodos implicat artis ope.
Hac sine qui contra it, cœlum iaculatur in altum,
Muro & ab ærato spicula fixa cadunt.
Delphinisq; ligat caudam, sed lubrica nexus
Implicitos laqueis parte ab utraq; cauet.
Technas ponenti licet ad iouis atria tendat,
Mox collo iniecta est seu cathena suo.
Quiq; uolunt nihil intra oleam duriue nucem extra.
Vi trahit & ueras comprobat arte uices.
Padus enim euphrati non miscet flumina, Tybris
Non rubeo miscet flava fluenta Tago.
Ardua pyrenes rhodope iuga mittet ad alpes,
Atlantis Taurus quando cacumen adit.
Sed uictrix logice uictri militat hasta,
Militiæq; sua leta trophœa capit.
Improbis ergo labor operose deuoret artis
Tædia, que prima fronte grauare solent.
Frugibus ut loti successu mira uoluntas
Allicit & durum est inde referre pedes.
Vsum præceptis ultroq; citroq; refingat,
Autoresq; puer perlegat usq; bonos.
Ut tandem è scena ueniat spectanda theatro,
Laudeturq; foris ficta palestra domi.
Sic bona diffuso stillabit copia cornu,
Frumenta uberioris nec feret illa seges.



Cras quando undenos sonitus facit hora diei,
Spero bonis auibus munus obire meum.
Seria docturus uigili Dialectica nixu,
Doctus Aristoteles que dedit arte graui.

